Cautiones Equestris Ordinis Ducatus Prussiae à Sac. Rg. Mte et inclyto Regno in futuros casus humillime petendae.

1 Ut in causis Prutenicis nihil suscipiatur vel tractetur, nisi id fiat scitu, consilio et consensu Equestris Ordinis more maiorum, qui hac ratione suae libertati consultum, nobisque eadem iura relinquere voluerunt.

2 Ut omnia Privilegia, quae à Divis Poloniae Regibus, praesertim autem à Casimiro Tertio Anno 1454 Crac., una feria quarta Cinerum, et Turonij eodem Anno feria 2da festo Beati Joannis Baptistae Prussiae concessa sunt, nunc denuo Equestri Ordini renoventur, et constitutionibus Regni inserantur

3 Ut in omnibus Nobilium actionibus (exceptis tamen flagrantibus homicidijs quae à Judicibus terrestribus diiudicari debent) sive eae fuerint civiles, sive criminales, sive Reales, sive personales, sive cuiuscunque alterius generis tam inter Principem et Nobiles, quam Nobiles solos iure procedatur, nec quicquam de facto attentetur, reservata semper Appellatione ex Provincia ad Tribunal Regni, quae tum quamprimum usui parata, quando mutatio instituta vel alias à Rg. Mte et Regno reservata. Ita tamen, ut tres Assessores ab Equestri Ordine Ducatus adhibeantur, quo dignitas eius conservari, et secundum Provinciae iura lites dirimi queant.

4 Cum integritas et fides in 12 Senatoribus Provinciæ
præcipue consideranda sit, ne aliquod periculum Ræ
Mti, Regno vel Provinciæ ab ijs metuatur, propterea
quoties aliquem eorum mori vel resignare contigerit, to-
ties in eius locum duo ab Equestri Ordine successiva-
tim præsentabuntur, qui ex his, quem velit, eligere ac
confirmare teneatur.

5 Ut Commissarij à Sac. Rª Mte et Regno deputentur,
qui ante omnia in statum et Administrationem Illmi
Principis nostri Alberti Friderici animadvertant,
Gravamina Nobilitatis tollant, in obtrectatores Sac.
Ræ Mtis et Regni inquirant, unumquemque ad officium
reducant, Baronem Dohnavium loco et ulteriori Rum
Legionum tribulatione arceant, Provinciam Legibus
et bonis ordinationibus reforment, ac undecunque Ræ
Mti et Regno autoritatem, Provinciæ vero et Nobi-
litati tranquillitatem ac quietem restituant.

Equestris Ordo Dal. Ponidie petit
a S. R. M^te et Ordinibus Regni
certas cautiones in futuris ca-
sib.